



C. e. 98

Original. Pap.

oo  
Nk

# 20. <sup>31.</sup> 33

2 N. 34.

3. d  
I. DISPUTATIO

PUBLICA PHILOSOPHICA

Σὺν τῷ Πατρὶ θεῷ, Υἱῷ, Ἁγίῳ, Ἁγίῳ Πνεύματι ἱερό.

De Definitionibus

DIALECTICAE.

GRAMMATICAE.

RHETORICAE.

PHYSICAE, &c.

*Ad juventutem primariam novae scholae Martinianae Brunovicensium exercendam proposita:*

QVAM

Præside Hermanno Nicephoro Rectore defendet

Mauritius Georgius Brandes Susatensis.

Mense Augusto Anno 96.



HENRICOPOLI  
Ex Officina Typographica Conradi Horn



## DE DISPUTATIONE JUDICIA.

D. Paul. 2. Timoth 2 v. 15 Σωθήσασιν σεαυτὸν δόκιμον πα-  
ρασησά τῷ θεῷ ἐργάτῳ ἀνεπαύχυντον, ὀρθολογὸν τὸ λόγον τῆ  
ἀληθείας.

Cic. lib. 2. Tusc. Tantum abest, ut scribi contra nos noli-  
mus, ut id etiam maximè optemus. In ipsa enim Græcia Phi-  
losophia tanto in honore numquam fuisset, nisi doctissimorum  
contentionibus dissensionibusq; viguisset.

Idem lib. 1. de Nat: Non tam autoritas in disputando,  
quàm rationis momenta quærenda sunt. Quin etiam obest  
plerumq; ijs, qui discere volunt, autoritas eorum, qui se docere  
profitentur. Desinunt enim suum iudicium adhibere: id ha-  
bent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident, &c.

Iul: Scalig: ad Card: exercit: 308. Ait Vives: tacitis me-  
ditationibus magis proficere nos, quàm altercationibus. Quod  
verum non est. Etenim sicuti lapidum collisione ignis: ita ex  
disceptationibus elicitur veritas. Quin egomet mecum, sæpè,  
diu, multum nisi pugnem: infeliciter cedit mihi. A magistro  
igitur plus excitamur. At adversarius suâ vel pertinaciâ vel  
sapientiâ mihi duplex magister erit.

Cic: de Finib. lib. 1. Differentium inter se reprehensiones.  
non sunt vituperanda.



HENRICUS  
Ex Officio Bibliopæce (commissarius) Hono-

# THESES COMMUNES.

1.



**V** in nomine Dei Opt: Max: Vnius & Trini hoc gymnasium exstructum & inauguratum: sic quoque perpetuis pietatis, sapientiae, honestatis, omniumque virtutum exercitijs ornandum ac frequentandum est: idque ad Dei gloriam, Ecclesiae aedificationem, Reipub. emolumentum, & nostram omnium salutem.

2. Cum igitur nobis tanta & in caelo & in terrâ proposita sit expectatio: quid est aliud, in quo fidem & industriam nostram declarare possimus, quam accurata iuventutis institutio & moderata disciplina.
3. Quae utraq; ut rebus humanis est maximè necessaria & salutavis: ita variè, pro dolor; negligitur, contemnitur, impeditur, distrabitur ac tollitur.
4. Itaque quò graviores sunt his extremis mundi temporibus oppositæ scholarum administrationi molestiæ: eò maiore est opus prudentia & diligentia.
5. Prudentia enim rectè prospicit & constituit omnia: diligentia verò constituta graviter & impigre exsequitur.
6. Ideoque tanta est harum virtutum coniunctio, ut neutra sine altera neque consistat, neque fructum edat.
7. Utraque igitur nobis ita est adhibenda, & primum quidem in institutione: ut optima tantum quam optimè iuventuti proponamus: ne fortè illud Græcum audiamus: περιττὰ ἔπερὶ ὁδῶν ἔμνησεν ὠφελῆντα τὰς ἄλλας ἐργασίας.
8. Huius autem rei specimen ut Deo adiuvante in exponendâ, sic etiam in disputandâ Dialecticâ præter cætera dabimus.
9. Nam sine hac arte nemo feliciter & utiliter ullo in genere studiorum versatur.
10. Veruntamen alia quoque addemus, quæ pleniorē efficere posse videbuntur discipulorum nostrorum eruditionem.
11. Neque est nobis profectò de authoritate Aristotelis, Philippi, Rami, & aliorum suscepta odiosa contentio: sed de ipsarum artium imprimisque Logicæ veritate & utilitate necessaria & placida disputatio.
12. Veneramus equidem Aristotelem, laudamus Philippum, magnificimus Rami, non contemnimus alios: nostrum verò qualecunque iudicium ex officio sincerè interponendum ducimus: cum Tullio denique statuimus, omissis etiam auctoritatibus posse ratione veritatem inquiri.

# THESES DIALECTICAE.

I.



Artes omnium facilimæ & utilissimæ in scholis tradendæ & inculcandæ sunt iuventuti.

2. Nam difficultas aut terret saltem studiumq; segnius efficit, aut omninò deterret: tum quòd res quæq; maiorem habet utilitatem, eò vehementiùs animos hominum allicit. Argumento sunt vel artes quæstuosæ. Hinc Tullius lib. 3. offi: Omnes expetimus utilitatem. Item: Quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius qui ea non studiosissimè persequatur? Aristippus: οἱ χηρῆσιμα ἀναγνώσκοντες εἰσι πωδῶναι.

3. Atqui Dialectica, ut a Ramo descripta extat, omnium facilima & utilissima est.

4. Quæcunq; enim ars ita constituta atq; descripta est: ut tum singula præcepta non ambiguitatem & opinionem: sed scientiam, id est, certam indubitatamq; cognitionem earum rerum, de quibus enunciantur, doceant: tum nihil in Methodo confusionis appareat: & ad omnem usum sit accommodatissima: ea omnium facilima & utilissima est.

5. Nam primùm ambiguitas & opinio non certitudinem, sed facile errorem pariunt: quo nihil est rebus humanis perniciosius. Est enim error approbatio falsi pro vero. Deinde rebus confusis & præposteris maxima est & obscuritas & difficultas: at ordo, cuius author Deus, est qui non solum memoriæ maximè lumen affert, ut ait Cic: 2. Orat: sed etiam intellectui.

6. At Dialectica P. Rami est ars ita constituta atq; descripta, ut tum singula præcepta non ambiguitatem & opinionem: sed scientiam earum rerum de quibus enunciantur, doceant: tum ut nihil in methodo confusionis appareat: & ad omnem usum sit accommodatissima.

7. Primùm enim nullum præceptum Rameum falsum, nullum contingens aut fortuitum: sed omnia necessaria & legibus scientificis καὶ πάντως, καὶ ἄυτῶ, καὶ ὅλας πρῶτον convenientia: deinde sic ordinantur, ut generalissimum sit primo loco: subalterna medio: specialissima postremo. Tertiò quàm aptissimam & accommodatissimam esse ad omnes omninò res tam sacras quàm profanas per analysin & genesin quàm accuratissimè suavissimeq; tractandas, nemo nisi inexpertus aut invidus diffitebitur.

8. Ergo

8. Ergo Dialectica P. Rami est omnium facilima & utilissima: ac proinde iuventuti scholasticae proponenda & inculcanda.
9. Neque verò putet quisspiam hæc ita dici de Ramo: ut abiectum velimus Philippum. Sic enim thesin 6. & 7. inductione, hoc est, perpetua de singulis præceptis disputatione (Deo adiuvante) probabimus: ut hos duos authores non tam inter se dissensisse, quàm ipsam eiusdem artis veritatem & utilitatem spectasse, per utriusque collationem ostendamus.
10. Est autem Dialectica ars benè differendi.
11. Hoc præceptum ut legitimum esse cognoscatur: duo in eo sunt consideranda: definitum & definitio.
12. Definitum est Dialectica: at non vox sed res, quæ voce significatur, & definitione explicatur, videlicet, ars ipsa Logica: cuius nota & symbolum vox est.
13. Significatum seu definitum apud omnes populos idem est: nomen autem variat: Græcis *Διαλεκτική* & *λογική*: quæ etiam Latini pro suis usurpant, teste Cic: de Finib: & Acad: 1. Idque non per metaphoram Arithmeticam: sed propriè. Tullius verò & Quintilianus Latine disceptatricem artem & virtutem appellare conati sunt. Nos Germani per Synecdochen *Ein vnterred Kunst* vel potius *ein vernunfft Kunst* appellamus.
14. Definitio constat è causis essentialibus.
15. Genus, ars, est legitima præceptorum comprehensio: materiam igitur & formam reliquis etiam artibus communem complectitur.
16. Materia sunt præcepta ex quibus ars constat: & sic differendi præcepta Logicæ materia sunt.
17. Forma communis est præceptionum cum singularum è notis illis scientificis conformatio: tum universalium methodica dispositio.
18. Forma propria Logicæ significatur his verbis: benè differere.
19. Particula, benè, minimè redundat. Primùm enim *εὐπραξία* finis est artis, qui adverbio benè, rectè exprimitur. A Philippo evidentia gratia additur ordine & perspicuè.
20. Deinde cum benè modo generaliter modo specialiter consideretur: illud quidem genere continetur: hoc verò è definiti natura promanat: illud communem omnium artium: hoc cuiusque artis propriam bonitatem ac perfectionem denotat. Sic igitur concludo:

Quicquid ad naturam definiti pertinet: id definitio explicare debet: nam definitio est rei accurata explicatio.

At bene speciale ad definiti naturam propriè pertinet:  
Ergo definitione explicari debet.

21. Tertio si Græcè definitio efferatur: ineptè eū omitti videbitur. Nam si dixeris: Διαλεκτική ἐστὶ τέχνη ἔμ λογίζεσθαι non erit tam accuratum, quàm si sic: Διαλεκτική ἐστὶ τέχνη ἔμ εὐλογίσειν. vel potius ἔμ εὐλόγησον, quàm simpliciter λογικὸν vel λογιστήν.

22. Verbum differendi metaphorica significatione factum est Logicæ proprium (ut Varro locupletissimus testis est) proprietate non significationis, sed possessionis.

23. Sed occurritur nobis à quibusdam: non inveniri hoc verbum nisi in uno hoc logico significatu: ideoque tropicum non esse. Sed hi velim has rationes expendant.

24. Primum quis potuerit unquam unus omnes auctores evolvere & singulorum vocabulorum omnes significationes cognoscere.

25. Deinde ne quidem apud multos, ne dum apud Ciceronem in omni sua significatione, omnia vocabula reperiri.

26. Ut Varronem undiquaque doctissimum & Iulium Scaligerum acutissimum fecisse videmus: ita & nos non solum usum verborum in bonis auctoribus, sed etiam naturas & causas considerare oportere. Iam verbi differo materia præcipua est sero: quod propriè agricolarum & olitorum est: ac antiquitus fuit tantum serui, sertum, pro semino & planto: at postea ad differentiam eiusdem in altero significatu, præteritum extrito R. factum est sevi (ut Scaliger docet de caus. ling. lat. lib. I. cap. 25) unde & supinum mutato e in a satum.

27. Quarto, utrumque verbum metaphorice ad res alias transfertur: ideoque etiam in compositione utrumque hanc naturam, & sero serui, sertum, retinet: ut Varro ostendit. Et differo translatum Logica sibi suo quodam quasi possessionis iure vendicavit: unde vix propriè usurpatur. Tropicum igitur est, non proprium.

28. Ut autem metaphoram in hoc verbo recipimus: ita Synecdochen reijcimus, quum duntaxat methodicam dispositionem propriè complecti, & hinc ad totius Logicæ intelligentiam traduci putatur.

29. Nam



29. Nam Di vel Dis particula non solum segregationem & in diversa separationem: sed etiam in actionis varietate modum omnem & perfectionem in compositione significat: ut in verbis disquiro & dispicio.
30. Disquiro non extremam tantum inquisitionis actionem: sed eius simul initium, medium & extremum, id est, omnem sursum deorsum, tam regrediendo quam progrediendo accuratè quærendi vim complectitur.
31. Sic dispicio significat tum oculos ad spectandum aperio, tum prospicio, respicio, circumspicio, oculos diligenter per omnia volvo: metaphoricè autem, tum mentis aciem intendo, tum in omnes partes quocumq; modo verso, penitusq; cognosco.
32. Sic etiam differo omnem Logicæ vim tam ἀναλυτικὴν quàm ᾠρητικὴν comprehendit: & est sine Synecdoche differere nihil aliud, quam penitus Dialecticæ, id est, tam inventionis, quàm Dispositionis artificia adhibere.
33. Cætera verba, quæ ab animadversoribus usurpantur, incommoda sunt, ut τῷ λόγῳ χρῆσθαι, docere, commentari, &c.
34. Τῷ λόγῳ χρῆσθαι primùm videtur apud Platonem significare sermone uti: deinde si maxime significant uti ratione; esset tamen nequaquam legitimum.
35. Primùm quia infantis itemq; pueri & rustici, aliq; homines indocti, non malè quidem utuntur ratione: sed tamen non benè differunt, hoc est, plenum artificium Logicum adhibere non possunt.
36. Deinde videntur etiam aliæ artes quodammodo rationem præscribere & λόγῳ χρῆσθαι.
37. Verbum docendi etsi Philippus pro differere usurpat: tamen prorsus idem esse nusquam inculcat: idq; propterea, quod primùm non est καὶ πάντος respectu personarum. Dialecticæ autem munere fungitur etiam is, qui instituitur & discit.
38. Deinde non est καὶ αὐτὸ, id est, proprium Logicæ respectu reliquarum artium. Nam illæ quoq; suo modo docent: quanquam Logica differendo id præcipuè præstat.
39. Verbum commentandi non est καὶ πάντος. Nam primum cum Logicæ facultas sit tam ἀναλυτικὴ quàm ᾠρητικὴ: Vi compositionis, posteriorem tantummodo significans, priorem excludit.

40. Deinde:

40. Deinde, et si etiam apud Ciceronem pro universa Dialecticæ facultate usurpatum videtur: tamen nulla prorsus ἀνάλυσις ullo in exemplo apparet.

41. Verba disputare, disceptare, vera & falsa dijudicare, partem tantum & usum quendam Logicæ denotant: totum Dialecticæ munus non complectuntur: ideoq; Melanchthon καὶ ἐξοχῆν bis utitur, è præcipuo videlicet usu logicæ.

42. Finis Logicæ eodem verbo, quo ipsa forma exprimitur.

43. Is autem Dialecticæ finis est, ad quem omnia præcepta eius æqualiter tendunt: & quem differentis actio semper assequitur.

44. Nam cum finis perfectio rei sit: quomodo erit ars, si quando se de suo fine frustretur, perfecta? quomodo certa? quomodo non fallax?

45. At omnia præcepta non æqualiter ad veritatem, sed ad benè differendum tendunt: nec veritatem differentis actio semper assequitur: sed benè semper differit.

46. Primum enim veritas propriè axiomatis affectio est: nec idcirco in reliquorum præceptorum sita est potestate: deinde cum axiomatis alicuius veritas per se quidem manifesta: attamen alicui dubitanti illustranda est: experimur ad hanc illustrationem neq; totam Logicam neq; solam requiri.

47. Tota Logica non requiritur, ut quæ est in simplici illa τὸ πρῶτον τοπικῆν: qua thema aliquod arguendum assumitur: ut, homo, sit res arguta. Conquire ordine ex Inventionem argumenta. 1. causam efficientem, Deum 2. Materiam, humum 3. Formam, rationem: & ita deinceps. Hic nulla veritatis illustratio aut cogitatio. Compose illud thema & argumenta axiomaticè affirmando vel negando, prout consentiunt vel dissentiunt: ut Deus creavit hominem: homo factus est ex humo: homo est rationalis: nec dum certè ulla subit Logicè & propriè ratio veritatis.

48. Cum igitur in his hæcenus nulla propriè sit veritatis consideratio: sequitur Logicam non totam in veritate illustranda versari.

49. Perge & considera, cum affirmata sint, utrum veritatem vel falsitatem affirmatio importet. Atq; is primus est gradus in consideratione veritatis.

50. Si veritatem deprehenderit: expende an axiomati ex argumentis non semper iisdem constituto insit contingentia. Hic secundus est gradus. Vbi nequaquam animus sapientiæ sitim explere cupiens subsistit.

51. Si igitur talis est tuus animus: facere non potes, quin exquivas etiam, num potius idem axioma ex argumentis constet semper iisdem: ac proinde necessaria ac perpetua veritas insit. Qui tertius est gradus: in quo sapientis animus acquiescit. Nam lux veritatis huiusmodi per se manifesta sapientis animum serenum collustrat.

52. At si nebulae forte quaedam residuae vel tuo ipsius, vel alterius animo caliginem erroris aut dubitationis obduxerint: ad Syllogismum progredere, & ad quaestionem tertio argumento adhibito ita antecedens collocas, ut caligine, eius claritate, discussa: veritas quaestionis penitus innotescat. Hic quartus illustrandae veritatis gradus est.

53. Quid si forte sic obscuratus sit animus, ut neque hoc pacto satis veritas constiterit: in utramque partem varie disputando sic quaestio agitur: ut tandem aliquando, tanquam ex attritu lapidum ignis, ita è disceptatione, indubitata veritas eliciatur. Hic quintus est gradus.

54. Neque is sanè in solo consistit artificio Logico: cum in disputando plerumque omni ratione & artificio persuadere studeamus: ut etiam ex omnibus & sacris & profanis scriptis notum est. Et fit saepe ut ne quidem hoc modo veritatis assensum apud omnes obtineas.

55. Ex quo efficitur neque solam Logicam in veritatis illustratione versari.

56. Non igitur veritatis persuasio: sed bene differendi aëlio Logicæ proprius finis est.

57. Quod de fine: idem ferè de subiecto Logicæ statuendum est. Sed ita concludo.

58. Aut argumentum, aut usus rationis, aut ens & non ens, aut denique res (ut sic dicam) differibilis seu differibile, est subiectum Dialecticæ. Sic enim variant Logicorum sententiæ.

59. At neque argumentum neque usus rationis, neque ens & non ens, est illud subiectum.

60. Omne enim subiectum tam latè patet, quàm sua ars.

61. Alioquin si angustius esset: ars aliqua ex parte otiosa & inanis foret: sin latius; ipsum aliquatenus ab arte perpetuò maneret incultum.

62. At neq<sup>3</sup> argumentum, neq<sup>3</sup> usus rationis, neq<sup>3</sup> ens & non ens tam late patent, quàm ars Dialectica.

63. Nam primùm in argumento explicando sola Inventionis doctrina versatur: doctrina verò iudicij, non in argumenti naturâ explicandâ, sed in iudicio constituendo occupatur.

64. Deinde, cùm argumentum semper ic̄tu arguat: subijcitur Logicæ aliquando id, quod actū non arguit. Vt, sit homo subiectum: argumenta, Deus, humus, ratio &c. ab his sanè arguitur illud: non contrâ.

65. Tertio, Dialectica est ex præceptis, ut materiâ. Præcepta autem non sunt illæ breves orationes, ut è vocibus constant: sed res, quæ his connotantur. Nam ut singula verba singularum rerum notæ sunt, ita coniuncta coniunctarum.

66. Verbis igitur cogitatione quasi remotis à rebus, si res illas, quæ verè præcepta sunt, consideres, sunt definitiones, distributiones & proprietatum explanationes, quibus vicissim res explicatæ & distributæ subijciuntur.

67. Iam si argumentum esset totius Logicæ subiectum: nullæ neq<sup>3</sup> definitiones Dialecticæ aliud, quàm argumentum primò & per se & immediatè explicarent & distribuerent. At eiusmodi præcepta iudicij, id primò & per se non faciunt.

68. Quarto distinguunt Logici inter Dialecticam docentem & operantem. Docentem appellant, quando instituitur auditor huius artis. Tum qui docet occupatur primùm in præceptis interpretandis: deinde per hæc in rebus huic arti proprijs, videlicet, in argumentis & eorum dispositione. Tertio dispositio vicissim in illis versatur. Atq<sup>3</sup> sic horum omnium totiusq<sup>3</sup> actionis & institutionis huiusmodi subiectum est auditor.

69. Interpretatur igitur Inventio argumentum, ut suum subiectum: Iudicium verò, rationem dispositionis, ut suum.

70. Operans Logica dicitur, quando ars cognita in opus educitur & in rebus exercetur. Tum Dialecticus propriè operatur Logica adhibita tanquam instrumento. Atq<sup>3</sup> sic Dialecticus simul & ars occupatur. Idcirco subiectum est res, quam Dialecticus Inventionis argumentis, eorumq<sup>3</sup> dispositione tractat, hoc est, quæ differitur.

71. Quinto.

71. Quinto, ut nihil actu numerans Arithmeticae: sic nihil actu differens Dialecticae subicitur.
72. At ut numerus, quatenus talis, actu semper numerat: sic argumentum actu semper differit.
73. Ergo ut numerus non est subiectum Arithmeticae, ita neque argumentum Dialecticae.
74. Cum usus rationis, Dialecticae subiectum statuitur, tria per se distincta confundi videntur, Ratio, eius usus, & Logica.
75. Ratio ante lapsum in Adamo fuit integra, nondum labefactata imagine Dei.
76. Usus itidem fuit integer, id est, rationis in requalibet occupatio, & ad rem accommodatio: neque ad hunc usum arte indiguit.
77. Verum per lapsum ratione prorsus infirmata usus penè amissus est.
78. Ad rationem autem confirmandam & usum eius restituendum, Deus non unam artem, sed omnes hominibus dedit.
79. Ideoque ratio eiusque usus omni arti subiectus, multò latius, quàm Dialectica, patet.
80. Sic ens & non ens latius esse videtur.
81. Etsi enim Logicus vagatur per omnes artes communibus Dialecticae instrumentis: tamen unaquaeque ars interim ens suum proprijs etiam viribus explicat.
82. Differibile verò seu res differibilis (ut ita loquar) toti Logicae facultati aequalis est: ut res numerabilis Arithmeticae: mensurabilis Geometriae: tactilis tactui, &c.
83. Hinc ens & non ens subiectum Logicae dicitur, non primò & per se, nempe quatenus simpliciter ens vel non ens; sed quatenus est differibile, id est, aptum, ut de eo differatur.
84. Ergo non argumentum, non usus rationis, non ens & non ens proprie, sed differibile est subiectum Logicae.
85. Nec tamen insipienter dicitur ens quatenus ens, esse subiectum Logicae. Nam primùm defuit hactenus satis Latina vox, quam fingimus necessitate coacti.

86. Deinde, differibile cum ente & non ente convertitur.
87. Tertio, tyroni Dialecticam discere incipienti, facilius est intelligere ens & non ens quid sit, quam differibile, & nisi illo perspecto, hoc nunquam percipiet.
88. Fac periculum. Audiens discipulus, subiectum Logicæ esse differibile, si quærat, quid sit: responderisne, esse id de quo differi possit. Si pergat, quid illud: & tu dixeris, esse rem quamlibet: non satis responderis. cum ens tantum intelligat esse differibile. Itaque, si sincerè & explicatè volueris erudire discipulum; necesse est ut dicas: differibile subiectum Logicæ, esse omne ens & non ens.
89. Quid autem ens est aliud, quam id quod est verè. Quid non ens, quam entis ficta similitudo: ut si solis domum Scauri theatro similem fingas.
90. Eadem est igitur hic ratio non entis quæ entis. Nam ficta illa similitudo, quæ subiecto verè subsistente caret, differitur: quam haud commodius appellaveris, licet improprie, quam non ens.
91. Denique, cum ens, quatenus ens, dicitur subiectum Logicæ: discipulo huius artis significatur, nihil esse in rerum universitate, quod differibile non sit: quodque ideo Dialecticæ non subijciatur.
92. Huic sententiæ omninò suffragatur D. Philippus lib: 1. Dialect: ad quæstionem: circa quid versatur Dialectica? & lib: 3. pag. 142 sic ait: Res sumuntur in singulis artibus è suis fontibus: itemque initio 4. lib. copiosius.
93. Agitur & hæc quæstio inter Logicos: num Dialectica & ars omnis, esse possit extra mentem.
94. Primum, qui negat hoc, is explicet mihi velim, an rectè dicatur, & quomodo intelligendum sit, cum dico de hoc, vel illo libro: est Grammatica, est Dialectica, &c.
95. Deinde, fuit aliquando nullius in hominis mente ulla ars: nec erit aliquando.
96. Nam neque ante lapsum Adamus ulla indiguit arte, neque post integritatis primæ restitucionem indigebimus.
97. Tertio amissâ per lapsum integritate, etsi vires animæ non omninò perierunt, vehementer tamen debilitatæ sunt.
98. Deus igitur humanæ calamitatis misertus, ut huic infirmitati succurreret, artes dedit hominibus per homines ad hoc negotium excitatos. ideoque & in neutris horum primitus ars fuit.

99. Quarto

99. Quartò, sit vel experientia huius controversiæ dijudicatrix. Annon quidam homines, licet ingeniosi, artium rudes, sine docentis vivâ voce, è mutis doctoribus seu libris, in quibus artes descriptæ sunt, præclaram hauriunt eruditionem? Unde ἐὼς ἰοδὶ δαξῶσι nominantur. Horum in animis si ars est, dum discitur: quorsum libri? sin autem non nisi è mente docentis in discantis animum transit, quâ sit quod è libris percipitur? imò ne à docente quidem transire potest nisi voce: quæ externa quædam res est & quasi instrumentum per aures ad animum quæ docentur, proferens.

100. Quintò, negatores huius sententiæ, habitum artis cum ipsa arte confundunt: ad quem constituendum tria concurrunt; natura, doctrina, exercitatio.

101. Natura est è ruinâ illâ & lapsu residua quædam mentis ad capiendas artes aptitudo: ac cæca & penè emortua, tantumq; adhuc palpitans in rebus ijs, quibus artes occupantur, molitio.

102. Doctrina verò est tum ars, tum artis interpretatio, quæ aut voce fit aut scripto.

103. Hæc doctrina per se est aliquid externum: menti enim inseritur per sensus externos: visum & auditum.

104. Exercitatio itidem magna ex parte foris assumitur.

105. Ut igitur calor natus in effæto corpore admodum debilis igni aut calore externo rescitur atq; fovetur: & uterq; moderato motu unitus ac temperatus ἐνεξίαν corporis & sanitatem efficit: ita natura imbecillis, arte instauratur & confirmatur: exercitatio verò habitum illum à natura inchoatum atq; conceptum & ab arte conformatum planè absolvit. Aded verum est, quod Tullius dixit: Ars dux certior est, quàm natura.

106. Ex quo efficitur, artem quidem extra mentem esse: habitum autem artificiosum minime.

## THESES GRAMMATICAE.

I.



Grammatica rectè definitur & distribuitur: itemq; Etymologia, vox, syllaba, litera rectè explicantur à Ramo: nec ea doctrina à Dn. Philippo admodum dissentit.

B 3.

2. Quæ.

2. Quælibet litera nativo sono, non alieno proferenda est.
3. Vocales latinæ rectè videntur proferri.
4. E Græcis tantùm tres legitimè efferuntur α, ε, ι. reliquarum prolatio à pura vetustate deflexit.
5. Nam sonus η, υ, & ι; itemq; ο, & ω, confusus, legitimus censeri non potest. Itaq; ut figura diversa est, sic & sonus distinctus erit.

## THESES RHETORICAE.

I.



Rhetorica. Elocutio & tropus rectè à Talao definiuntur & distribuuntur.

2. Κατάχρησις, ὑπερβολὴ & ἀλληγορία troporum non genera sed communes affectiones sunt.

## THESES PHYSICAE.

I.



Physica est ars de natura.

2. Natura est rei corporæ ὑπόστασις.
3. Naturæ adiuncta est sua qualitas.
4. Natura est simplex aut concreta.
5. Simplex, quæ est omninò ὁμοιομερής.
6. Natura simplex est æther aut elementum.
7. AETHER est natura simplicissima, subtilissima, purissima, solida, lucida, perpetuò suo similis.
8. AETHER est cælum aut stella.
9. Cælum est æther in immotum mundi ambitum instar pellis extensa undiq; concameratus.
10. Stella est æther globosus cursu certo celeriq; perpetuò mobilis.

E I N I S.







83 L 12 16

ULB Halle  
004 396 618

3




56.

M







3

d

I. DISPUTATIO

PUBLICA PHILOSOPHICA

Σὺν τῷ Πατρὶ θεῷ, τῷ, Ἁγίῳ, Ἁγίῳ Πνεύματι ἰσῶ.

De Definitionibus

- DIALECTICAE.
- GRAMMATICAE.
- RHETORICAE.
- PHYSICAE, &c.

*Ad juventutem primariam novae scholae Martinianae Brunovicensium exercendam proposita:*

QVAM  
Praeside Hermanno Nicephoro Rectore  
defendet

*Mauritius Georgius Brandes Susatensis.*  
Mense Augusto Anno 96.



HENRICOPOLI  
Ex Officina Typographica Conradi Horn.

